



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. Quænam Judæis Christianorum Principum potestati & Imperio  
subjectis, Jure tum Canonico, tum civili sint interdicta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

sive balneum commune habere, extra casum necessitatis; nec liceat eorum azyms velci, ad eorum convivia accedere (quod ipsum prohibetur etiam respectu Saracenorum, aut aliorum infidelium, ita tamen, ut illi excipiantur, qui ad eorum conversionem mittuntur) famulari Judæis, horum filios nutrire, seu obstetrices, aut nutrices eorum agere, habitare cum illis &c. ita ut continua saltem cum illis familiaritas, ex tali cohabitatione, aut perpetuo servitio contracta, prohibeatur sub peccato mortali.

## §. II.

*Quanam Judæis Christianorum Principum potestati & Imperio subiectis, Jure tum Canonico, tum civili sint interdicta.*

Prohibetur illis, ne officio aliquo publico fungantur, & jurisdictionem exerceant inter Christianos, ne novas Synagogas erigant, ne habeant nutrices, vel obstetrices aut famulos, qui ipsis serviant, vel mancipia Christiana, ita ut si servitij causa, sint empta, nullo etiã dato pretio liberentur, nisi infra tres menses venales exponantur; si verò negotiationis causa sint empta, à quolibet Christiano datis 12. solidis saltem redimi possint; ne die Parasceves ostia aut fenestras aperta habeant, ne toto tempore passionis Dominicæ, infra sacram seil. hebdomadem, in publicum prodeant, & præcipitur etiam, ut distinguantur habitu à Christianis. Vide plura per varia hujus Tituli capitula, & quæ tam his duobus, quàm sequenti §. habet Auctor Method.

ubi etiam quæ ipsis permitti debeant, recensentur, quæ tamen consuetudo & praxis multùm variat.

## §. IV.

*Quomodo & à quo Judæi delinquentes possint, ac debeant puniri?*

Judæi cum non sint subiecti jurisdictioni Ecclesiæ, non possunt, nisi à Dominis suis temporalibus, pœnâ temporali puniri, hinc Judæus percutiens clericum, non incurrit excommunicationem, quæ est pœna Ecclesiastica, sed ab eo, cujus jurisdictioni temporali subiectus est, pœna fortassis pecuniaria punietur.

## §. V.

*Quanam interdicta sint Christianis Jure Canonico circa Saracenos, seu paganos, aliosque infideles?*

*In c. Ita quorundam 6. h. t. &c. Ad liberandum 17. eodem.* varia prohibentur Catholicis, ne Saracenorum bellico & piratico furori contra Christianos serviant, præsertim ne arma, ferrum tam factum, quàm infectum, ligna &c. ad eos deferant, ne vendant illis naves, machinas &c. quibus impugnent Christianos; ne auxilium, aut consilium in dispendium terræ Sanctæ illis præbeant; ne naves eorum, vel machinas gubernent; ne deferant, & vendant illis, quæcunque instrumenta militaria, ad offendendam conducentia; & ut in bulla eæne prohibetur, ne quis ad eos deferat, cannabin, funes, & quæcunque alia, ex quibus confici possunt instrumenta,